CONSPECTVS BREVIS HISTORIAE ROMANORVM ANTIQVAE

CVM

CHRONOLOGIA

ET

SYNCHRONISMO BIBLICO.

TVBINGAE,
SVMTIBVS JAC. FRIDER. HEERBRANDT
MDCCLXXX.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

L. S.

En benevole Lector libellum de Hiſtoria Romanorum antiqua, in eorum præprimis uſum conſcriptum, qui non ſolum nova, ſed, & antiqua hiſtoria delectantur, mole quidem parvum, minime vero rerum copia; ſiquidem non modo plures, ac in contractioribus commentariis vulgo traduntur, res comprehendit, ſed ea omnia, quæ notatu digna fuere, in tali conſpectu, in quo præcipua uno obtutu perſpici debent.

Hiſtoria hæc Romanorum antiqua inde a vetuſtiſſimis temporibus ad *Auguſtum* primum Romanorum imperatorem deducta, ac quatuor periodis diſtincta eſt; quarum prima quidem *Reges*, tum ante Romanos, tum Romanos ipſos; ſecunda *Conſules*, Decemviris & tribunis militum mixtos; tertia & quarta *perpetuum Conſulare imperium*,

illa quidem ad everſam usque Carthaginem; accurata cum *Chronologia trium ærarum,* ſcilicet anno Orbis Conditi, anno Urbis Conditæ, & ante Aeram Dionyſii; & *Synchronismo biblico.*

In fine hujus conſpectus deprehendis, Lector benevole! non ſolum *Calendarium Romanum,* a Julio Cæſare correctum, ſed *indicem* Chronologicum in *Ciceronis ſcripta* plurima, & præcipua, una cum *tabula* brevi, *verſus mnemonevticos,* in *Imperatores Romanos* continente, ad memoriam facilitandam.

Accipe libellum hunc, Lector benevole, animo bono, ut emolumentum, haud exiguum inde percipias, & faveas Autori, eſt quod ille adhuc enixe optat, & ſibi expetit.

RES

RES GESTÆ ROMANORUM

SVB ANTIQVIS REGIBVS AB ORIGINVM, LATINORVM ATQVE ALBANORVM, ANTE ROMANOS, ET SVB REGIBVS ROMANIS IPSIS.

Anno Mundi	Anno Aeris Dionysii	Synchronismus.	Ante Urbem Conditam.	HISTORIA REGVM AB ORIGINVM.
				I. HISTORIA REGVM AB ORIGINVM.
2556.	1392.	LXXX anni Israelis in quos incidunt anni XVIII. servitutis sub Eglon & Judex Ehud. Jud. III. 8 seq. Thola Judex in Israel.	637.	Janus, ex quo Janiculus mons ad urbem trans Tyberim situs appellatus esse dicitur. Saturnus, provinciæ huic nomen Latii dedisse dicitur, quia hic præ filio irato, Jove, Rege Cretensi, latuisse dicitur. Picus vel Jupiter. Faunus vel Mercurius, qui post mortem in Deorum numerum relatus effatis suis hominibus pro oraculo fuisse fingitur, & inde a fando nomen invenisse dicitur.
				II. HISTORIA REGVM LATINORVM.
2716.	1232.	Jair judicat in Israel Jud. X. 3.	477.	Latinus, Fauni vel Herculis filius. Aeneas, Tros, cui Lavinia, Latini filia, nupta erat.
			474.	Huic tribus post annis in proelio cum Rutulis occiso vel aqua merso duo Aeneæ filii succedunt Lavinii: Filius ex Lavinia Latini Filia Sylvius Posthumus. Albæ Longæ: Ascanius ex Creusa, Priami filia natus, qui Albam condidit, & Lavinio Matri f. novercæ Laviniæ cessit.

III. HI-

Anno Mundi	An.Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ante U.C.	
				III. HISTORIA REGVM ALBANORVM *ex Alba Longa, ab Ascanio condita, dictorum.* Coaluit regnum utrumque Latinorum & Albanorum sub Aenea Sylvio I. Aeneas Sylvius II.
2850	1098	Samuel propheta floruit, & Saul primus Rex in Israel regnat.	343	Latinus Sylvius. Alba Sylvius. Capetus I. Capys.
2970	978	Exorto schismate regni Israelitici Roboam in Juda & Jeroboam in Israel regnat	223	Capetus II. Tiberinus. Agrippa.
3015	893	Samaria fit sedes regni Israelitici.	383	Alladius. Aventinus. Procas, cujus filii Numitor atque Amulius
3174	774	Menahem Rex Israelis regnat.	23	Numitor a fratre regno privatus fuit artibus quibusdam, Rhea, filia Numitoris, Vestæ devota, ex qua tamen Numitor nepotes gemellos Romulum & Remum suscepit, qui avum tandem in regnum restituerunt. Numitor deinde nepotibus auctor novæ urbis condendæ.

			Ab U.C.	*RES GESTÆ* *REGVM ROMANORVM.*
3197	751	Rex Judæ Jotham.	1	*Romulus*, cui avus Numitor novæ condendæ urbis auctor fuit, quæ ab ipso Roma denominabatur & septem montibus insignis est Palatino, Aventino, Capitolino, Coelio, Esquilino, Quirinali

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
				nali & Viminali. Romam coloniam deduxit, cujus Rex revera erat, licet nomine careret. Romuli ingenium præstantissimum videtur fuisse, quoniam eruditissimi in gerendis rebus ingenii h. e. civilis prudentiæ significationes dedit, quod patet ex sapienti ipsius tum externæ tum internæ civitatis constitutione.
3222	726	Samaria capitur & finis fit regni Israelitici.	25	Post bellum Sabinum raptumque virginum Sabinarum, Rex Sabinorum Tatius per annos quinque simul cum Rege Romulo, Rex amico amicus regnavit, qui autem postea interfectus est.
3234	714		37	Tandem Romulus ab ipsius superbia concitatis Romanorum animis anno vitæ sexagesimo, regni trigesimo septimo interfectus esse dicitur.
3235	713		38	Interregnum fuit, nullo Romuli filio superstite. Tandem
3236	712		39	*Numa Pompilius* vel artibus vel virtutibus ad regnum pervenit, eodem, quo condita Roma est, die natus. Pacis erat studiosissimus & novus novarum religionum aut potius vanitatum auctor. Numa tandem LXXX amplius annorum senex, ut placide vixit, sic placide mortuus est, regni sui anno XXXXIII.
3279	669	Manasse & Ammon, Reges Judæ.	82	*Tullus Hostilius*, Numæ successor, oriundus Medulia, civitate Latina & Romam IV annos conditam commigrans, forti ferocique & bellandi studioso ingenio

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				fuit. Evertit Albam Longam, superavit Fidenates & Sabinos, in senectute tandem superstitioni deditus. Ab irato Jove coelitus tactus cum familia domoque conflagrasse dicitur; vel potius ab invido successore gladio tactum dicas, anno regni XXXIII.
3311	637	Josias Rex Judæ. Nebucadnezar regnat. A. Ae. D. 598. Urbs Hierosolyma obsidetur, &	114	*Ancus Marcius*, Numæ Pompilii ex filia nepos, succedit Tullo, in quo medium erat ingenium & Numæ & Romuli memor. Romæ ob auctam civium multitudinem montes Aventinum & Janiculum addidit, illum ad habitandum, hunc ad muniendum. Mors ejus fuit violenta, nescio an a Tarquinio successore illata, quod inde patescere videtur, quia successoris fraude uterque Anci filius regno fuit exclusus. Mortuus est autem regni anno XXIV.
3335	613	templum & urbs per Chaldæos tandem vastantur.	138	*Tarquinius Priscus*, Græci & ortus & ingenii h. e. callidi, sed minus gravis & honestatis studiosi. Anco succedit, cui fuit amicissimus, quique cum moriens tutorem filiorum constituit. His autem exclusis regnum ambiens primus prece & pretio fuit adeptus. Adeptum callide regnum callide etiam administravit lectis in Patres centum e suis. Primus triumphat. Muro lapideo Romam circumdat, & Sabinos impedituros dolo reprimit. Capitolium fundare coepit. Jus talionis

Anno Mundi	An. Aer Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
				lionis tandem expertus Tarquinius ab Areci filio altero ſecuri eſt percuſſus, anno regni XXXVIII ſenex LXXX annorum.
3373	575		176	*Servius Tullius*, ingenio præclariſſimo, incerto Patre natus. Tarquinii conjux filiam ipſi in matrimonium dedit. Dolo tamen regnum fuit adgreſſus, quod deinceps optime adminiſtravit, cenſum & luſtra ordinavit, ſapientiſſimum inſtitutum. Invidia tandem ſucceſſoris Tarquinii ſuperbi, cujus & tutor & ſocer erat & nefaria filia ſuadente interficitur anno regni XXXXIIII.
			220	*Tarquinius Superbus*, a Græcia, patris Tarquinii Priſci patria calliditatem hæreditate, crudelitatem & barbariem ex conſuetudine cum ſuperba uxore accepit. Tyrannus hic, metu Tyrannis proprio, foedus cum Latinis renovavit, Latinas ferias inſtituit. Bella geſſit cum Volſcis, Sabinis, Gabiis. Acceſſit ſuperbus ad Capitolium exædificandum. Brutus tandem ſapiens ſub ſtolidi nomine latens tyrannidis finem faciens Tarquinio cum familia Roma ejecto imperii regii finem & conſularis annui tantum imperii initium fecit. Tarquinius tandem non Rex XXV. annorum, ſed privatus occubuit.

RES GESTÆ ROMANORUM
SUB IMPERIO CONSULARI MIXTO CONSULUM DECEMVIRORUM, ATQUE TRIBUNORUM MILITUM.
Per annos continuos CXXXXIIII.

A. O.C. 3442 — 3585. A. V. C. 245 — 388. A. Ae. D. 506 — 363.

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	RES ROMANÆ SUB IMPERIO CONS. MIXTO.
3442	506	Darius Hystaspis, Rex Persarum regnat, Judæis amicus.	245	Primos Consules Interrex Lucretius M. Junium Brutum & Tarquinium Collatinum renunciavit. Sed nomine Tarquinii populo Romano inviso & suspecto suffectus ipsi est P. Valerius Poplicola. Bruto autem in proelio cum Tarquiniis a Veientibus adjutis seque ulturis cadente suffectus est Lucretius, eoque brevi mortuo M. Horatius Pulvillus.
3443	505		246	Valerius II. & Titus Lucretius Coss. censu lustroque iterum restituto, quod præclarum Servii Tullii institutum Tarquinius intermiserat, quoad regnavit, censuerunt civium capita CXXX millia.
3444	504		247	Valerio III. & Horatio Pulvillo II. Coss. e XII. Leucumonibus Etruriæ Porsenna Tarquiniorum ignominiam ulturus urbem aggreditur, sed singularibus Romanarum virtutum inprimis Horatii Coclis, Mucii Scævolæ & virginis Clæliæ exemplis percitus pacem cum Romanis iniit.
3445	503		248	Spurio Lartio & T. Herminio Horatii Coclis in ponte comitibus præmii loco Coss. factis pax fuit.
3446	502		249	M. Valerius, Poplic. frater & P. Posthumius Coss. satis feliciter bel-

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				bellum gesserunt cum Sabinis, de quibus uterque triumphavit.
3447	501		250	P. Valerio Poplic. IV. & T. Lucretio II. Coss. novum a Sabinis bellum instituit, de quibus fusis Valerius triumphans mox mortuus est Consul bonus, optimus civis. Imperator maximus, qui, quia publica privatis antetulit, summa quippe in paupertate mortuus, Publicola fuit appellatus.
3448	500		251	Ab Agrippa Menenio & P. Posthumio Coss. iidem Sabini iterum fusi sunt, de quibus ille triumphavit, hic primus omnium ovavit.
3449	499		252	Opiter Virginius & Sp. Cassius Coss. Sabinos, Camerinos & Auruncos, ut Romanis se dederent, coëgerunt.
3450	498		253	Posthumio Cominio & T. Lartio Coss. bellum Latinum a Tarquiniis motum est, quod omnium notatu dignissimum videtur. Hoc enim bello de populi Romani principatu ultimo decertatum est. Hinc primus omnium Dictator creatus est T. Lartius, qui proeliis quibusdam Latinos ad inducias in annum petendas coëgit.
3451	497		254	Servius Sulpicius & Manius Tullius Coss.
3452	496		255	T. Aebutius & C. Vetusius Coss.
3453	495		256	Q. Cloelius & T. Lartius Coss.
3454	494		257	A. Sempronius & M. Minucius Coss.
3455	493		258	A. Posthumius & T. Virginius Coss. induciarum tempore exacto cum La-

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				Latinis bellum redintegrant, qui a Dictatore Posthumio gravissimo proelio utriusque exercitus funduntur, & devictæ sunt omnes Latinorum civitates. Tarquinius tandem, cum in regnum restitui non posset, Cumis in Campania senio & ægritudine confectus est.
3456	492		259	Appius Claudius patriciæ dignitatis vindex acerrimus & populi castigator asperrimus hanc in rem a Patriciis Consul creatur, cui collega datur P. Servilius. His Coss. orta est plebis cum patribus contentio. Servilius, bonus Cos. illius asperitatem temperat.
3457	491		260	A. Valerio & T. Vetusio Coss. lites inter Patricios & plebem & externi hostis Sabini & Volsci nuncius Dictatorem fieri coegerunt, Manium Valerium, qui res secunda gessit fortuna. Hoc magistratu se abdicante maximæ procellæ plebejæ excitata sunt, quæ a Menenio Agrippa tum oratione sapienti tum ea pacis conditione sedabantur, ut suus in posterum plebi magistratus esset sc. *tribuni plebis*.
3458	490		261	Sp. Cassio & Posthumio Cominio Coss. primi tribuni plebis fuerunt C. Junius Brutus & C. Sicinius Bellulus, adjunctis sibi P. & C. Liciniis & Sp. Icilio Ruga creati sunt, qui deinde magistratus lege sacrosanctus habitus est. Deinde Volsci a Cos. Posthumio victi sunt.

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
3459	489		262	Tit. Geganio & P. Minucio Coſs. fame maxime urbs laboravit ex neglecta per ſeceſſionem plebis agricultura.
3460	488	Joſakim Sacerdos Summu II. Hieroſolymitanus poſt captivitatem.	263	M. Minucio II. & A. Sempronio II. Coſs. frumentaria & Coriolana contentio coepit. Frumentum Patricii popularis gratis, Appiani eo, quo hactenus, pretio dividi voluerunt. His Coriolanus ſuffragatus eo abiit, ut tribunatum iterum velit abrogari.
3461	487		264	Hæc contentio Coriolana Q. Sulpicio Camerino & Sp. Lartio II. Coſs. &
3462	486	Xerxes ille magnus, Rex Perſarum regnare coepit.	265	C. Julio Julo & P. Pinario Ruſo Coſs. perduravit.
3463	485		266	Sp. Nautio & Sext. Furio Coſs. belli in expertis rejectis.
3464	484		267	Fortiſſimi C. Aequilius Fuſcus & Sicinius Sabinus Coſs. creantur, quorum alter Hernicos alter Volſcos vincit.
3465	483		268	Sp. Caſſius III. & Proculus Virginius Coſs. hic contra Aequos, ille contra Volſcos & Hernicos profectus eſt. Caſſius auctor fuit legis agrariæ, quæ novum ἔριδος pomum fuit.
3466	482		269	Q. Fabio & Servio Cornelio Coſs. accuſatus & damnatus eſt Sp. Caſſius a monte Tarpeio præcipitatur. Vterque etiam Coſ. ille a Volſcis hic a Veientibus victoriam reportat.
3467	481		270	Sicut etiam Cæſo Fabius II. & Aemilius Mamereinus Coſs.
3468	480		271	M. Fabium & L. Valerium Coſs.

 Sequi-

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
3469	479		272	Secutum est interregnum, Patriciis App. Claudium Coss. creari volentibus. Tribunis pl. Decemviros præoptantibus. Tandem ex interregno C. Julius Julus & Q. Fabius Vitulanus Coss. Remp. administrant. Gratiosum jam Fabianum nomen esse coepit.
3470	478		273	Hinc Cæso Fabius II. & Sp. Furius Coss. feliciter Remp. gesserunt.
3471	477		274	M. Fabius II. & Cn. Manlius Cincinnatus Coss. Etruscos fundunt, fugantque, utroque in proelio cadente.
3472	476		275	Cæso Fabius III. & T. Virginius Coss. sub quibus civiles turbæ iterum concitatæ sunt, suadente Fabio populari agros esse dividendos, refragante autem Senatu. Hic etiam Veientibus non exercitum sed solam Fabiorum gentem opponit.
3473	475		276	L. Aemilio & C. Servilio Coss. Cæso Fabius primus Procos. creatur, ut Fabios educeret.
3474	474		277	Qui tandem C. Horatio & T. Menenio Coss, a Veientibus circumventi cæduntur ad unum omnes. Etrusci his Coss. prope ad Vrbem pugnarunt in Janiculo.
3475	473		278	Hinc A. Virginius & Sp. Servilius Coss. Etruscos vincunt.
3476	472		279	C. Nautius Rutilus & P. Valerius Coss.
3477	471		280	L. Furius Medullinus Fusus & C. Manlius Coss. Hic ob Veientes ad pacem petendam coactos ovans in urbem est ingressus.

L. Ae,

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
3478	470		281	L. Aemilio III. & Vopisco Julio Coss. novæ civiles turbæ motæ sunt a tribunis pl. sic etiam
3479	469		282	L. Pinario & P. Furio Coss. Volero trib. pl. a prioris anni Coss. offensus rogationes gravissimas ad populum tulit, cui contradixerunt Patricii.
3480	468		283	App. Claudio & T. Quinctio Coss. Ille patricios, hic populum defendit, qui etiam civile bellum mitis & populo gratiosus componit. Appius Severius milites habuit:
3481	467		284	Hinc P. Valerio II. & Tit. Aemilio Coss. accusatus Appius ante dictum diem mortuus est.
3482	466		285	T. Numicius Priscus & A. Virginius Coss. cum Volscis, Aequis & Sabinis feliciter pugnant.
3483	465	Artaxerxes Longimanus conjux Estheræ. Rex Persarum regnat, Judæis favens.	286	T. Quinctius II. & Q. Servilius Coss. externo cum Aequis & Volscis bello internos motus declinarunt.
3484	464		287	Aemilio Coss. legem agrariam ab auctore Cassiam dictam, perferre cupiente Collega Q. Fabius rem prudenter temperat.
3485	463		288	Sp. Posthumio & Q. Servilio Coss. superatæ & compressæ sunt turbæ intestinæ.
3486	462		289	Dein T. Quinctio III. & Q. Fabio II. Coss. cum externo hoste res fuit. Aequi vincuntur.
3487	461		290	A. Posthumio & Sp. Furio Coss. Aequi iterum funduntur.
3488	460		291	L. Aebutio Elva & P. Servilio Prisco Coss. pestis Romæ fuit, quam commodam rati occasionem

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
				nem Volſci exercitu ad Vrbem quaſi vaſtatam accedere auſi ſunt, nec tamen aggredi.
3489	459		292	Vbi hoc malum parumper reſedit Valerius Popl. Interrex L. Lucretium Tricipitinum & T. Veturium Geminum Coſs. creat, quorum prior Volſcorum nomen prope delevit. Hiſs Coſs. etiam novæ tribuniciæ procellæ a C. Terentio Arſa trib. pl. motæ ſunt, qui lege coercere voluit poteſtatem conſularem.
3490	458	Esdra, Aechmalotarcha Hieroſolymam adſcendit.	293	P. Volumnius & Ser. Sulpicius Coſs.
3491	457		294	C. Claudio & P. Valerio II. Coſs. contentiones tribb. continuatæ ſunt, ita, ut conjurati Capitolium occupaverint quod auxilio Tuſculanorum recuperatum eſt. Valerio in expugnatione Capitolii interfecto ſuffectus eſt Quinct. Cincinnatus, qui lites plebejas prudens compoſuit.
3492	456		295	Q. Fabio Vibulano III. & L. Cornelio Maluginenſi Coſs. luſtrum conditur, in quo cenſa ſunt CXXX millia civium.
3493	455		296	C. Nautius & L. Minucius Coſs. domi legem Caſſiam impedierunt. foris Minucius ab Aequis circumventus adducta in ſummum diſcrimen Rep. fecit, ut Dictator crearetur Qu. Cincinnatus, qui ſub jugum miſit Aequos a ſe victos.
3494	454		297	C. Horatio & Q. Minucio Coſs. turbulenta fuit Reſp. a tribunis pl.

Anno Mundi	An. Aer Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				pl. qui legem Terentiam iterum perferri contendunt. Procella hæc autem ſedata fuit decem in poſterum tribunis pl. creatis.
3495	453		298	M. Valerio & Sp. Virginio Coſs. &
3496	452		299	T. Romilio & C. Vetanio Coſs. novæ de dividendo monte Aventino lites motæ ſunt.
3497	451		300	Sp. Tarpeio & A. Aterio Coſs. lex perlata eſt de novis legibus e Græcia ex inſtituto Solonis in Remp. introducendis, auctore inprimis Romilio.
3498	450		301	P. Curatio & Sext. Quintilio Coſs. fames & peſtis Romæ fuit.
3499	449		302	C. Mencnius & P. Seſtius Capitolinus ultimi ante Decemviros Coſs.
3500	448		303	Hoc anno primi Decemviri legibus X tabularum conſtituendis ſunt creati, quorum nonniſi ſinguli per ſingulos dies imperabant & primo mite erat imperium, inter hos priores erat Appius Claudius & T. Romilius. Tribuni pl. hinc & Conſules, Aediles, Quæſtores abrogati.
3501	447		304	Decemviri jam coeperunt Tyrannorum inſtar importune cum populo agere.
3502	446		305	Iidem Decemviri exoſi ob Tyrannidem affectatam & Remp. contra Sabinos & Aequos male geſtam a novis Tribunis pl. accuſati in exilium abierunt.
3503	445	Nehemias Hieroſolymam aſcendit.	306	Novi Coſs. L. Valerius & Horatius novis & maxime popularibus legibus latis novam a civibus gratiam inierunt. Ab iisdem Tri-

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
				buni pl. restituti sunt, Volsci, Aequi, Sabinique devicti: hinc primi solo populi jussu sine auctoritate Senatus triumphant.
3504	444		307	Lar. Herminio & T. Virginio Coss. nova prodiit lex ab auctore Trebonio, trib. pl. Treboniana dicta, qua vetuit, ne Tribunis collegas sibi cooptare liceret.
3505	443		308	Sed a M. Geganio Macerino & C. Julio sedatæ sunt iterum hæ & plures tribuniciæ procellæ.
3506	442		309	T. Quintius Capitolinus IV. & Agrippa Furius Coss. optimi in sedandis populi & patriciorum discordiis illustres.
3507	441		310	M. Genucio Augurino & C. Curtio Philone Coss. denuo rejicitur Consulare imperium & Tribuni militum A. Sempronius Atratinus, L. Atilius & T. Coecilius designantur potestate consulari.
3508	440		311	Hoc anno regnarunt Tribuni mil. quibus quasi vitio creatis suffecti rursus sunt L. Papirius & L. Sempronius Coss.
3509	439		312	M. Geganius Macerinus II. & T. Quinctius Capitolinus V. Coss. dignitatis Censoriæ auctores sunt.
3510	438		313	M. Fabius Vibulanus & Posthumius Aebutius Coss.
3511	437		314	C. Furius Pacilus & M. Papirius Crassus Coss. pacifici.
3512	436		315	Proculi Gegani Macerini & L. Menenii Lanati Coss. &
3513	435		316	T. Quinctii Capit. VI. & Agrippæ Menenii Coss. biennium fame & hinc seditione orta fuit molestum,

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				leftum, ad quam ſedandam Qu. Cincinnatus Dictator creatur.
3514	434		317	Mutabilis plebs iterum maluit Tribunos militum patricios tamen Mamercum Aemilium, L. Quinctium Cincinn. filium, & Julium Julum, ſub quibus Fidenates defecere ad Veientes. Hinc
3515	433		318	M. Geganius Macerinus III. & Sergius Fidenas Coſs. creati ſunt. Dictator etiam ob bellum cum Fidenatibus creatus Mamercus Aemilius victoriam ab ipſis reportavit, ubi Cornelius Coſſus ſecunda a Romulo ſpolia optima a Rege Veientium tulit.
3516	432		319	M. Corn. Maluginenſi & L. Papirio Craſſo Coſs. peſtis & ſeditio Romæ fuit.
3517	431		320	Julio Julo II. & L. Virginio Coſs. Roma terræ motibus & bello Fidenatium concuſſa eſt. Hinc Dictator creatus A. Servilius. Furius & Geganius cenſores cenſum agunt in campo Martio.
3518	430		321	Manlius & Sulpicius Coſs. dubiæ memoriæ. Sed Julus III. & Virginius II. Coſs. Dictatorem creant Mamercum Aemilium ob vanum belli nuncium, qui deinde Cenſorum munus non quinquennale ſed annum fecit.
3519	429		322	Fabio Vibulano, M. Foslio Flaccinatore & L. Sergio per tribunorum pl. contentiorum Tribunis militum creatis peſtilens annus otia fecit.
3520	428		323	L. Sinario Mamerco, L. Furio Medullino & Sp. Poſthumio Albino Coſs.

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				Cofs. poteftate Tribunis militum lata & perlata eft lex de Candidatis.
3521	427		324	Iterum Cofs. creati funt T. Quinctius & C. Julius Mento, quibus cum Volfcis & Aequis male pugnantibus Dictator datus eft Pofthumius Tubertus.
3522	426		325	L. Papirius Craffus & L. Julius Cofs. legem ferunt de mulctis pecunia in pofterum non pecude folvendis.
3523	425		326	L. Sergius Fidenas II. & Hoftus Lucretius Tricipitinus Cofs.
3524	424	Darius Nothus Rex Perfarum regnare coepit.	327	A. Cornelii Coffi & T. Quinctii Penni Cincinnati Cofs. annus ficcitate fola memorabilis eft.
3525	423		328	Servilio Ahala & L. Papirio Cofs. Veientibus rebellantibus bellum juffu populi indictum eft.
3526	422		329	Tribuni militum creati funt, qui in bello inferiores difcedentes Dictatorem Mamercum Aemilium, qui egregie Remp. geffit.
3527	421		330	Tribuni mil. hujus anni Veientibus & Aequis inducias dederunt.
3528	420		331	App. Claudio Craffo, Furio Sp. Nautio, rel. tribb. militum novas tribuni pl. procellas moverunt.
3529	419		332	C. Sempronius Cof. cui collega fuit Q. Fabius contra Volfcos Remp. male geffit, cujus rei tamen veniam impetravit.
3530	418		333	Ob invifum e Sempronio Confulare nomen Tribuni militum iterum creati funt.

Aucto-

Anno Mundi	A. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
3531	417		334	Auctoribus tamen tribunis plebis pacis studiosis ad Consules reditum est. Creati igitur sunt Quinctius Capitolinus & Numerius Fabius Coss.
3532	416		335	Ob comitia a tribunis pl. prohibita interrex fuit L. Papirius Mugillarius, qui sub exitum anni creavit Tribunos militum.
3533	415		336	Iterum Tribuni militum creantur, sub quibus conjuratio servorum & detecta & declinata est.
3534	414		337	His militum tribunis Aequi Sergio cladem intulerunt. Ad rem restituendam Dictator creatus est Priscus Servilius.
3535	413		338	Hic tribunatus mil. foris minimum quietus fuit.
3536	412		339	Hic autem domi turbulentus ob agrarias contentiones.
3537	411		340	Quietum hunc tribunatum excepit
3538	410		341	Alius Romae tumultuosus & seditiosus militum tribunatus.
3539	409		342	Iterum Coss. fiunt ob Posthumii trib. mil. crudelitatem adversus milites M. Corn. Cossus & Furius Medullinus.
3540	408		343	Q. Fabio Ambusto & C. Furio Coss. &
3541	407		344	M. Papirio & C. Nautio Coss. satis quieta fuit Roma ob annonam pestemque.
3542	406	Artaxerxes Mnemon Rex Persarum regnat	345	M. Aemilio & C. Valerio Coss. contentiones iterum coeperunt.
3543	405		346	Cn. Corn. Coss. & S. Furio Medullino Coss. primi Quaestores plebeji creati sunt.
3544	404		347	Iterum tribunatus redit, sub quo C Dicta-

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
				Dictator P. Corn. Rutulus Volscos vincit.
3545	403		348	Hoc tribunatu mil. bellum cum Veientibus exarsit.
3546	402		349	Hujus anni tribuni mil. instituerunt, ut in posterum milites ex publico ærario stipendia acciperent.
3547	401		350	Hoc tribunatu &
3548	400		351	Præsentis anni tribunis mil. oppugnatio Veiorum finiri non potuit.
3549	399		352	Tribuni militum hoc anno VIII. creati bellum etiam adversus Vejentes per hyemem continuant.
3550	398		353	Hoc Tribunatu mil. Romani a Volscis & Veientibus pressi sunt.
3551	397		354	Sub his tribb. mil. tribunicii motus ob legem Treboniam fuerunt.
3552	396		355	Hoc anno primus e plebejis Trib. mil. creatus P. Licinius Calvus Remp. bene gessit.
3553	395		356	Creantur itaque hoc anno V. plebeji, unus Patricius Tribb. mil. qui Velos represserunt. Morbi etiam pestiferi hoc anno fuerunt.
3554	394		357	Inter tribunos militum M. Furius Camillus Carpenates ingenti præda mulctavit.
3555	393		358	Tribunis militum hujus anni, quia vitio creati sunt, magistratu se abdicantibus facti sunt Interreges M. Furius Camillus, L. Valerius, & Q. Servilius Fidenas.
3556	392		359	Tribunis mil. cladem a Faliscis & Carpenatibus reportantibus Dictator creatus est M. Furius Camil-

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				millus, qui Veios tandem Reip. Romanæ æmulos expugnavit.
3557	391		360	Sub hoc tribunatu Camillus dimidiatam plebem Veios tanquam in meliorem sedem commigraturam confutavit.
3558	390		361	Camillus hoc anno Tribunus mil. reliquias belli Veientis sustulit.
3559	389		362	Coss. iterum creati sunt L. Lucretius Flavus & Serv. Sulpicius Camerinus, qui cum Camillo iterum agitatam legem, coloniam Veios mittendi, antiquavit uterque. Ob consulem utrumque contagione pestifera affectum interreges fuerunt Camillus, Scipio & L. Valerius.
3550	388		363	L. Valerius Potitus & M. Manlius Coss.
3561	387		364	Tribuni mil. iterum creantur, sub quibus Galli f. Celtæ Duce suo Brenno Romam recta petunt.
3562	386		365	Sub his Tribunis militum Roma a Brenno, Gallorum Duce expugnata & vastata fuit, Romanis tamen Capitolium adhuc tenentibus.
3563	385		366	Vrbs a Camillo restituitur.
3564	384		367	Camillus iterum Dictator hostes labantem Remp. prorsus oppressum adcurrentes Latinos & Hernicos terret, Volscos subigit, & Sutrium ab Etruscis recipit.
3565	383		368	Sub hoc tribunatu mil. accessio facta est novarum quatuor tribuum.
3566	382		369	Tribunorum mil. Princeps Camillus Antiates, Latinos, Hernicos & Volscos devicit.
3567	381		370	Hoc tribunatu Capitolium orna-

Anno Mundi	An. Aer Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				tum fuit, & tribuniciæ de agris dividendis lites sunt recoctæ.
1568	380		371	Hoc tribunatu Resp. Romana tum bello cum Volscis tum intus seditione Manliana jactata fuit.
569	379		372	Hoc Tribunatu Manlio dies dicitur, qui damnatus a monte Tarpeio præcipitatur.
570	378		373	Hoc Tribunatu Romæ pestilentiam annona, annonam bellum cum Volscis sequitur.
571	377		374	A Tribunis mil. hujus anni Veliternos vincentibus Prænestini petuntur Volscis juncti.
572	376		375	M. Furius Camillus cum reliquis Tribunis militum Volscos lacessitos proelio vincit castrisque exuit.
73	375		376	Hoc tribunatu ob Prænestinos ab Vrbe repellendos Dictator creatur T. Quinct. Cincinnatus.
74	374		377	Ab his Tribunis mil. contra Volscos Resp. male gesta fuit.
75	373		378	A tribunis hujus anni Volsci cæduntur.
76	372		379	Tribb. militum L. Aemilio cum reliquis tribuniciæ procellæ fecerunt, ut
77	371		380	per hos integros quinque
78	370		381	annos
79	369		382	nec Consul nec Tri-
80	368		383	bunus militum
81	367		384	crearetur.
82	366		385	Tandem bello cum Veliternis orto iterum creati sunt Tribuni mil. a quibus hostes pelluntur, & ipsæ Velitræ obsidentur, quæ tamen,
83	365		386	Nec novis his Tribb. mil. expugnantur

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
				guantur ob domesticas tribunorum plebis contentiones.
3584	364		387	Hoc tribunatu mil. ob lites civiles Camillus Dictator fit, qui re infecta Magistratu se abdicat.
3585	363		388	Sed his mil. Tribb. repentino belli Gallici nuncio a litibus intestinis avocata urbs Camillum V. Dictatorem creat, qui Gallos & inde Veliternos vincit. Hic tandem etiam legem de Consulibus plebejis perferri permisit, & sic omnis Tribunorum militum potestatis factus est finis.

RES GESTÆ ROMANORVM
SVB IMPERIO CONSVLARI PERPETVO VSQVE AD REMPVBLICAM CHARTAGINIENSEM EVERSAM A SCIPIONE.

Ann. CCXVII.

A. O. C. 3586 — 3803. A. V. C. 389 — 606. & A. Ae. D. 362 — 145.

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	RES ROMANÆ PER QVÆVIS LVSTRA.
3586	362		389	Primus Consul plebejus creatur L. Sextius, cui collega datur ex Patriciis L. Aemilius Mamercinus. Novus magistratus præturæ Sp. Furio Camillo & ædilitatis Cn. Quinctio Capit. & P. Cornelio Scipioni datur.
3587	361		390	L. Genucio & Q. Servilio Coss. Cæmilius, Vir optimus, moritur.
3588	360		391	C. Sulpicio Pætico & C. Licinio Stolone Coss. tertium ab V. C. propter pestem lectisternium fit.

ıno indl	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				fit. Romæ histriones primum introducti.
89	359	Ochus, Rex Persarum, regnare coepit ann. XXI.	392	Cn. Genucio & L. Aemilio Mamerc. II. Coss. clavi figendi superstitio accessit, quem Manlius satis imperiosus hanc in rem Dictator creatus fixit. Eodem anno M. Curtius sese pro patria devovens in foro Romano in voraginem ibi apertam conjecit.
90	358		393	Q. Sulpicio II. & L. Genucio II. Coss. hic ab Hernicis circumventus occiditur. Hinc Dictator creatus App. Claudius eos tandem non sine jactura repressit.
91	357		394	C. Sulpicio II. & C. Licinio Calvo Coss. Galli denuo redeunt, quo bello Manlius Gallum grandem prosternit, & a torque ejus aureo detracto Torquatus dicitur.
92	356		395	C. Poetilius Balbus & M. Fabius Ambustus Coss. Tiburtes & Hernicos felici proelio fundunt, & ob Gallos usque ad urbem accedentes Dictator creatur Q. Servilius Ahala, qui eosdem fundit fugatque.
93	355		396	M. Popillius Lænas & Cn. Manlius Tiburtes ad urbem noctu accedentes repulerunt.
94	354		397	C. Fabio & C. Plautio Coss. hic Hernicos plane devicit. Ille Remp. male gessit contra Tarquinienses. Gallos iterum redeuntes Dictator C. Sulpicius cum Sabinis denuo Romanorum sociis novo genere pugnæ ingenti strage edita repulit.

C. Mar-

sit. Romæ histriones primum introducti.
Cn. Genucio & L. Aemilio Mamerc. II. Coss. clavi figendi superstitio accessit, quem Manlius satis imperiosus hanc in rem Dictator creatus fixit. Eodem anno M. Curtius sese pro patria devovens in foro Romano in voraginem ibi apertam conjecit.
Q. Sulpicio II. & L. Genucio II. Coss. hic ab Hernicis circumventus occiditur. Hinc Dictator creatus App. Claudius eos tandem non sine jactura repressit.
C. Sulpicio II. & C. Licinio Calvo Coss. Galli denuo redeunt, quo bello Manlius Gallum grandem prosternit, & a torque ejus aureo detracto Torquatus dicitur.
. Poetilius Balbus & M. Fabius Ambustus Coss. Tiburtes & Hernicos felici proelio fundunt, & ob Gallos usque ad urbem accedentes Dictator creatur Q. Servius Ahala, qui eosdem fundit ugatque.
Popillius Lænas & Cn. Manlius Tiburtes ad urbem noctu accedentes repulerunt.
Fabio & C. Plautio Coss. hic Hernicos plane devicit. Ille Remp. male gessit contra Tarquinienses. Gallos iterum redeuntes Dictator C. Sulpicius cum Sabinis denuo Romanorum sociis novo genere pugnæ ingenti strage edita repulit.

C. Mar-

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.	
3595	353		398	C. Marcio & Cn. Manlio Coss. perlata est lex a Tribb. pl. de unciario foenore.
3596	352		399	M. Fabio Ambusto & M. Popillio Lænate II. Coss. hic Tiburtibus gravis fuit, ille Faliscos & Tarquinienses fundit.
3597	351		400	Coss. bini Patricii (contra morem) C. Sulpicius Pæticus III. & M. Valerius Poplicola cum tribunis pl. decertarunt, negantes, cuiquam alii udituros se Consulatum, quam patriciis, quod etiam fecerunt.
3598	350		401	M. Fabius Ambustus III. & T. Quinctius Capitolinus Coss. uterque patricius, ille Tiburtes, hic Tarquinienses devicit.
3599	349		402	C. Sulpicio Pæt. II. & M. Valerio Popl. II. Coss. ob socia Cæritum, Faliscorum & Tarquiniensium arma T. Manlius Torquatus Dictator creatur, qui bene gessit Remp.
3600	348		403	C. Marcio Rutulo (plebejo) & P. Valerio Poplic. Coss. Quinqueviri, mensarii dicti, constituti sunt, & C. Julius ob bellum Etruscum Dictator creatur.
3601	347		404	C. Sulpicio Pæt. V. & T. Quinctio Penno Coss. Censore primum plebejo C. Marcio Rutulo Census fit.
3602	346		405	M. Popillio Lænate pleb. & L. Corn. Scipione Coss. ille Gallos vicit.
3603	345		406	L. Furio Camillo & App. Claudio Crasso Coss. ille Gallos justo proelio fudit, ubi Valerius Gallum solus solum adgressus vicit,

a quo

An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
			a quo facto nomen Corvini accepit ob corvum juvantem.
344		407	M. Valerio Corvino & M. Popillio Lænate Coss. pestis Romæ fuit Carthaginienses primum Romam legatos miserunt, societatem petentes, quam adepti sunt.
343		408	T. Manlio Torquato & C. Plautio Coss. foenus factum est semiunciarium.
342		409	C. Poetilio & M. Valerio Corv. II. Coss. hic Satricum a Volscis captum diruit & triumphat.
341		410	Ser. Sulpicio Camerino & M. Fabio Dorsone Coss. Dictator creatus Cn. Manlius Capitolinus Auranios levi proelio vicit.
340		411	C. Marcio Rutulo III. & T. Manlio Torquato II. Coss. ferias Latinas Romani celebrant.
339		412	M. Valerio Corv. & A. Corn. Cosso Coss. semen sparsum est trium gravissimorum bellorum, Samnitici, Epirotici s. Pyrrhici, & Punici. Valerius Samnites primum vincit. Alterum Cos. a Samnitibus obsessum Decius Mus sua virtute servat. Valerius eosdem rursus vincit.
338	Arogus, Rex Persarum, regnat annos II.	413	C. Marcio Rutulo & Q. Servilio Coss. cohors militum seditiosa a M. Valerio Corvino Dictatore ideo creato, ad officium revocatur.
337		414	C. Plautio II. & L. Aemilio Mamerco Coss. Privernates & Volsci vincuntur.
336	DariusCodomannus, ultimus Rex Persar. per annos IV.	415	T. Manlio Torquato III. & P. Decio Mure Coss. Alexander, Alexandri

a quo facto nomen Corvini accepit ob corvum juvantem.
M. Valerio Corvino & M. Popillio Lænate Coss. pestis Romæ fuit Carthaginienses primum Romam legatos miserunt, societatem petentes, quam adepti sunt.
T. Manlio Torquato & C. Plautio Coss. foenus factum est semiunciarium.
C. Poetilio & M. Valerio Corv. II. Coss. hic Satricum a Volscis captum diruit & triumphat.
Ser. Sulpicio Camerino & M. Fabio Dorsone Coss. Dictator creatus Cn. Manlius Capitolinus Auranios levi proelio vicit.
Marcio Rutulo III. & T. Manlio Torquato II. Coss. ferias Latinas Romani celebrant.
M. Valerio Corv. & A. Corn. Cosso Coss. semen sparsum est trium gravissimorum bellorum, Samnitici, Epirotici s. Pyrrhici, & Punici. Valerius Samnites primum vincit. Alterum Cos. a Samnitibus obsessum Decius Mus sua virtute servat. Valerius eosdem rursus vincit.
Marcio Rutulo & Q. Servilio Coss. cohors militum seditiosa M. Valerio Corvino Dictatore leo creato, ad officium revocatur.
Plautio II. & L. Aemilio Mamerco Coss. Privernates & Volsci vincuntur.
Manlio Torquato III. & P. Decio Mure Coss. Alexander, Alexandri

Anno Mundi	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U.C.	
				xandri M. avunculus, in Italiam appulit, infectis autem rebus domum rediens. Bellum Latinum coepit, in quo se Decius Mus devovit. Reliquias autem belli delevit Manlius in filium nimis severus.
3613	335		416	T. Aemilio Mamerco & Qu. Publilio Philone Coss. Latini castigati sunt.
3614	334		417	L. Furius Camillus & C. Mænius Coss. Latinos pulsant & statua equestri in foro uterque honoratur.
3615	333	Alexander M. græcæ Monarchiæ auctor regnat vel vincit per annos VIII.	418	C. Sulpicio Longo & P. Aelio Pæto Coss. primus Prætor plebejus invitis patriciis creatur.
3616	332		419	L. Papirius Crassus & Cæso Duilius Coss. Ausones vincunt, non devincunt, quod
3617	331		420	M. Valerius Coro. IV. Cos. fecit, cujus collega fuit M. Atilius Regulus.
3618	330		421	T. Veturius & Sp. Posthumius Coss.
3619	329		422	A. Cornelio & Cn. Domitio Coss. ob vanum de Gallis nuncium Dictator creatur M. Papirius Crassus. Census fit, & novæ tribus binæ adduntur.
3620	328		423	M. Claudio Marcello & C. Valerio Flacco Coss. veneficium matronarum detectum est.
3621	327		424	L. Papirius Sp. filius & C. Poetilius C. F. Coss.
3622	326		425	L. Papirio Crasso & L. Plautio Vennone Coss. magnificentius se gerere coeperunt Romani erga Samnites.

o di	An. Aer. Dionys.	Synchronismus.	Ab U. C.		Ann Mund
3	325		426	L. Aemilio Mamerco & C. Plautio Coss. iterum vanus oritur de Gallis redeuntibus tumultus. Vterque Privernum oppugnat.	3633
4	324	Philippus Aridaeus.	427	C. Plautio Proculo & P. Corn. Scapula Coss. semen dissidii Samnitici in herba coepit esse.	363
	323		428	L. Corn. Lentulo & Q. Publilio Philone Coss. ille cum exercitu Samnites observavit, hic autem Palaepolin oppugnavit.	363
	322		429	C. Poetilio & L. Papirio Mugillano Coss. Publilius Palaeopolin dolo capit, & hi Coss. tria in Sannio oppida expugnant. Hoc anno etiam cives nexi liberati sunt.	363
	321		430	L. Furius Camillus & Junius Brutus Scaeva Coss. hic Vestinos uno proelio fudit, ille Dictatorem creat L. Papirium Cursorem, qui	3637
	320		431	Dictator hoc anno sine Coss. Samnites ad internecionem vicit.	363
	319		432	Cajus Sulpicius Longus II. & Qu. Aulius Cerretanus Coss. contra Samnites nil memorabile gesserunt.	3639
